

DISPUTATIO JURIDICA

De

COLLATIONE BONORUM

Quam

Auspiciis gratiæ divinæ feliciter adjutus

Sub Præsidio

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
AMPLISSIMI & CONSULTISSIMI

DOMINI

JOHANNIS REBHANII,

JCti, Com. Palat. Cæsar. Cod. & Feudal. Consuet.

Prof. P. Celebrissimi, Colleg. Jurid. Senior. graviss.
divers. Stat. Consiliarij.

Domini Patroni, Fautoris & Præceptoris
sui æternum devenerandi.

Publicè proponet & defendere
allaborabit

THEODORUS SPOLTMANN,

Weerdensis. Autor.

addiem ~~Februarij~~ 4. Martij.

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS PASTORII,
ANNO M DC LXVII.

50. 13

233

14

1667 13


11

21

(Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page)

D





I. N. I.
PRÆFATIO.



Circumspicienti mihi de argu-
mento, quod disputatione ali-
qua proponerem, persuasum
est, ut tempus & operam in tra-
ctationem talis materiæ collocarem, quæ a-
liquando prodesse posset; quapropter, cum
id jure recusare non potuerim, *de Collatio-
ne Bonorum*, tanquam materia satis nobili
& in forensibus controversiis frequenter oc-
currente agere cōstitui, eamque pro ingenij
modulo, quantum hinc inde ex Commen-
tatoribus Juris, maximè verò Digestorum &
Codicis libris de ea colligere licuit, aliquot
thesibus circumscribere volui, exactam ejus
enodationem committens iis, qui ingenij
acumine præditi, huic negotio justum, quod
requirere videtur, tempus impendere cupi-
unt.

unt. Antequam autem ulterius progredi-
ar, supremi Numinis auxilium & opem im-
ploro, ut hunc laborem & cætera omnia fe-
licissimo progressu & egressu pro infinita sua
bonitate beare velit.

THES. I.

CT primò quidem non sinistrè me facturum
puto, si quædam de voce *Collationis* perpendam ne
propter ignorantiam termini res obscurior sit, &
hoc in multis materiis, non solum veteribus JCtis
verum etiam recentiorib⁹ perusitatum & frequens
fuisse elegantissimè demonstrat Magnificus Dn. Præses, Patronus
ac Præceptor aternâ grati animi memoriâ devenerandus in *princi-
pio Hodegetæ Juris*. Quod itaque vocabulum *Collationis* attinet, sci-
endum est, non esse primitivum sed derivatum verbale. descendit
enim à supino collatum verbi Confero, hoc autem à præpositione
Con & verbo Fero; quæ duo verba maximè in subjecta materia
differunt; Conferre namque pro simul & in medium inferre, Fer-
re autem pro auferre & adimere sæpè accipitur, l. 3. §. 2. ff. de Collat.
l. 20. in pr. ff. de bon. poss. contr. tab. l. 1. ff. de furt. §. furtum autem Inst.
de obl. quæ ex del. nasc.

2. Relicta derivatione nominis explicanda venit *Homony-
mia*; ubi notandum, quod vocabulum *Collationis* sumatur variè:
Sic homines Pontificiæ religioni addicti cœnam, quam tempore
præsertim quadragesimali jejunantes faciunt, ad sustentationem
naturæ, *Collationem* vocare solent: Sic assignatio & concessio be-
neficii ecclesiastici vacantis *Collatio* dicitur in *Cap. relatum est 9.
X. de præb. & dignit.* In jure civili sumitur interdum pro contribu-
tione & solutione alicujus pecuniæ ad opus publicum Perez. in
Comm. C. ad h. t. in pr. interdum pro dilatione temporis ac negotij
peragendi l. 9. ff. de sponsal. l. 12. pr. ff. de jur. dot. interdum pro di-
stinctione librorum; siquidem novellæ constitutiones Justiniani in
novem

novem Collationes divisæ deprehenduntur: Nonnunquam pro translatione sic enim usurpari non tantum in hac materia, verum etiam alibi docet C. I. A. lib. 37. tit. 6. th. 1. veluti alicui conferre honorem, dignitatem &c. Nov. 81. in pr. nonnunquam aliis modis, quos apud Lexicographos videre licet. In hoc autem instituto propriè Collatio restringitur & accipitur pro privata quadam contributione facienda inter liberos, qui simul admitti, ad communis parentis successionem desiderant Treutl. vol. 2. disp. 17. th. 1. lit. a. in exeg.

3^o Synonymicè conferte dicitur in commune redigere l. 1. §. 11. ff. h. t. cum bonis confundere l. 8. C. eod. l. 8. c. de bon. proscript. Collatione fungi, Collationis munere fungi, munus Collationis sustinere l. 3. de Collat. dot. Germanicè, einwerffen/in gemeine theilung bringen/D. Hahn. in observ. ad Wesenb. hic. n. 1.

4. Tantum de ipso vocabulo Collationis; sequitur origo juris de collatione facienda constituti, extensi & restricti. Jus hoc primitus à Prætoribus introductum esse, nemo est, qui dubitat, idq; patet ex l. 1. §. 1. & tot. tit. de Collatione. Cum enim prætori nimis durum videretur liberos emancipatos jure civili adeo pro extraneis haberi l. 55. §. 1. de R. N. ut, si à parente in testamento præteriti essent, nullo modo ad ejus bona hereditatemque pervenire possent, §. 9. Inst. de hered. quæ ab intest. def. hoc beneficium Emancipatis indulget, ut tam bonorum possessionem contra tabulas, si nimirum à patre præteriti essent §. 3. Inst. de exher. liber. l. 4. ff. de B. P. C. T. quam bonorum possessionem ex capite Edicti. Unde Liberi: si mortuus esset intestatus, peterent, atque ita cum liberis mortis tempore in potestate existentibus, nec tamen institutis, nec, ut oportebat, ritè exheredatis succederent. l. 8. §. 2. ff. de bon. poss. contr. tab. §. eadem hac. 12. Inst. de hered. quæ ab intest.

5. Quoniam autem exinde suis heredibus inferebatur injuria, tum quia emancipati ita per beneficium prætoris paternæ hereditatis participes facti, ejusdem portionem aliquam illis juxta juris civilis regulas debitam auferabant: tum quia sui omnia acquisita quocunque titulo, excepto peculio castrensi & quasi, patri acquirebant l. 79. ff. de acq. hered. l. 1. pr. Si à par. quis manum. l. 1. §. 15. ff. h. t. §. igitur. 1. Inst. per quas pers. cuiq; acq. & sic per suos ac-

quisita parentibus post mortem patris veniebant dividenda cum emancipatis, qui nihil patri acquirebant sed omnia quaesita extra familiam sibi seorsim asservabant.

6. Ideo, ne ex hac injuria liberi integri juris haberent, quod quererentur, praetor eam injuriam inspecta, de remedio, quo eam compensaret, cogitavit ac introduxit, ut emancipati ad successionem patris una cum fratribus suis heredibus venire cupientes, bona ea, quae si in potestate mansissent, patri fuissent acquisita, fratribus conferrent. *Aequum enim praetori visum est, inquit Ictus in l. 1. h. ut sua quoque bona in medium conferant, qui appetunt paterna; cum enim petendo contra tabulas, bonorum possessionem, emancipatus petat pro se & suo commodo, ac proinde habeatur, ac si non esset emancipatus, merito, quasi non emancipatus sua cum caeteris dividere & communicare necesse habet, idque propter vulgatum: quod quisq, juris in alterum &c. accedit quod nemo locupletari debeat cum alterius damno. l. 206. de R. I.*

7. Jus hoc extensum est, partim Jurisconsultorum responsis; partim Constitutionibus Imperatorum.

8. Secundum verba edicti Praetoris, tum demum collatio locum habebat, quando suus & emancipatus eodem & quidem jure praetorio succedebant: Verum Ictus Scævola, eum videret nimium eo modo jura collationum coangustari, respondit, ut sive eodem sive diverso jure succedant, modo eodem possint, collationi locus sit. *l. 10. ff. h. t. Vid. Vital. Nemauf. & Brunner. de Collation.*

9. Huic Edicto & responso Scævola, superadditum est à Divo Pio in *l. 1. de Collat. dot.* ut filia in potestate dotem, si quam à communi parente acceperit, fratri & sorori conferre teneatur. *Bach. ad Treutl. d. disp. 17. th. 1. lit. G.* cum aliàs ex generali edicto soli liberi emancipati conferre teneantur, *l. 1. prin. ff. h. t.*

10. Porro ad similitudinem dotis, Leo Imperator constituit, ut donatio propter nuptias conferatur. *l. 29 C. de in off. testam. l. 17. C. h. t.* sive ea à patre, sive à matre, avo, avia, proavo, proavia, paternis maternis profecta sit, haecenus nihil inter est.

11. Idem Imperator ex sola aequalitatis consideratione, idem juris esse voluit in successione matris & lineae maternae. *d. l. 17.* quod olim secus erat, cessante nimirum ratione inductiva collationis

nis

nis nempe injuria Bach. *d. disp. th. 2. lit. a. Vinn. in tract. de Collat. cap. 7. n. 3.*

12. Justinianus jus hoc partim ulterius extendit, partim etiam restrinxit: Extendendo hodie collationi æquè locum fecit in successione ex testamento ac ab intestato *Nov. 18. c. 6. auth. ex testamento. C. h. t. nisi expressè remissa sit aut vetita.*

13. Restringendo constituit, ut sola profectitia conferantur. *l. ult. C. h. t.* postquam enim liberis in potestate constitutis adventitorum omnium proprietatem concesserit, rectè id ei visum est. De his ut & aliis infra latius dicitur.

14. His præmissis, ad *definitionem* progredior. Collatio, licet in ea definienda Dd. se multum torqueant, definiiri potest, quod sit illatio bonorum priorum cujusdam generis in comunem hereditatem parentum, ut ea inter liberos conferentes & parentibus succedere volentes, sicut cætera bona dividantur.

15. Dividitur collatio ab objecto in generalem, bonorum scilicet arg. *rubric. in Digestis & Cod. & specialem, Dotis nimirum, de qua tit. de Collatione dotis.* Deinde à forma seu modo iterum in generalem, quando ea fieri dicitur boni viri arbitrato *l. 2. §. 2. l. 5. §. 1. ff. h. t. & specialem, quæ fit vel re ipsa vel cautione, l. 1. §. 9. & II. ff. eod.*

16. Videamus nunc, qui conferre teneantur, nec ne: Conferre tenentur soli liberi (sub quorum appellatione omnes descendentes, præcipuè verò usque ad trinepotem continentur. *l. 10. §. 7. de grad. & affin. l. 220. ff. de V. S. & ibi Gædd.*) universaliter succedentes per *l. 1. ff. h. t. l. 7. l. 16. C. eod.* non item illi, qui particulari titulo aliquid acceperunt *l. 10. c. eod. Bach. ad Treurt. d. th. 1. lit. D. Riminald. ad l. 9. C. h. n. 233. & seq.*

17. Intereat autem jure veteri: an hi liberi essent sui juris effecti, an etiamnum in potestate patris constituti & retenti: Liberi enim, sive per emancipationem, sive citra emancipationem sui juris effecti sint, cæteris liberis in potestate retentis tam jure novo quàm veteri conferre obstricti sunt ea, paucis tamen exceptis, quæ ante mortem patris sibi acquisiverunt. *l. 3. §. 3. ff. hic. l. 6. C. eod.* modo eos injuriâ atque incommodo afficiant iisdemque ex causa successionis quippiam auferant, quibus enim nihil auferatur, his nec confertur. *C. I. A. ad h. t. th. 3. n. 1. Perez, d. l. n. 4.*

18. Liberi

18. Liberi autem in potestate retenti, qui sui appellari solent, nihil conferre poterant, cum præter castrensia & quasi castrensia, quæ libera sunt ab onere Collationis, l. 1. §. 15. h. t. omnia parentibus suis acquirerent, §. igitur 1. Inst. per quas pers. cuiq.

19. Hodie non minus sui emancipatis, quàm emancipati suis, immò Sui suis bona defuncti parentis participare volentibus conferre necesse habent, l. 1. pr. de coll. dot. l. 17 & seq. C. h. t. quamvis de suis vix dici possit, quod propriè conferant, cum secundum jus novum adventitorum bonorum nulla sit collatio. l. ult. C. h. profectitia verò in hereditate contineantur. l. 12. C. eod. C. I. A. d. th. n. ult. h. t.

20. An autem Emancipatus emancipato conferre teneatur? non immeritò dubitare licet, præsertim cum magnus circa hanc quæstionem extet Dd. dissensus. Equidem, si jus vetus spectetur, quo pari & æquo jure à prætore ad bonorum possessionem admittuntur, nec alter alteri quicquam vel aufert vel incommodo afficit, res expedita erit, quod nimirum inter eos jura collationis locum non habeant. An verò idem novo jure statuendum sit, magis est, quod dubitari possit, cum tam affirmantes, quàm negantes, suis non videantur destituti textibus. Verum opinionem statuentiam, nec novo jure sibi invicem emancipatos conferre teneri in puncto juris veriore arbitror, per l. 1. §. ult. l. 2. §. 5. ff. h. t. l. 9. C. eod. Vid. Brunner. in d. tr. de coll. c. 3. n. 36. & seqq.

21. Quæsitum est de liberis ex primo capite, unde Liberi, vel tempore vel repudiatione exclusis, ex secundo aut tertio capite, unde Legitimi, aut unde Cognati autem admissis, utrum hi conferre teneantur? Et negativam sententiam defendere conantur Nemaus. in d. tr. c. 1. n. 19. Riminald. add. l. 9. C. h. n. 202. & seqq. Affirmativa autem magis placet, quia prætor liberos etiam ex inferioribus ordinibus venientes, non tantum ut agnatos aut cognatos; sed etiam ut liberos considerat, per l. 6. §. 2. ff. de Carbon. Edict. Cum igitur liberi ex secundo vel tertio capite veniant tanquam liberi & jure liberorum succedant, ratio fæddi solida non potest, cur conferre non debeant Treutl. d. disp. 17. th. 2. lit. a. & ibi Bach. C. I. A. d. l. n. 10.

22. Quod adoptivos attinet, illi si ab aliquo ascendente
adopta

9.
adoptati sint, iis casibus, quibus succedunt, conferre tenentur co-
heredibus ante ab illo patre accepta. Quid si succedant patri na-
turali per bonorum possessionem contra tabulas? Obstricti qui-
dem etiam sunt, sed pater adoptivus pro iis conferre cogitur, l. 1.
§. 14. *Vital. in d. tr. c. 2. n. 19.*

23. Planè si hic pater adoptivus ante bonorum possessio-
nem petitam emancipaverit eos sine fraude & dolo, non cogetur
ad collationem, & adoptivi emancipati collatione fratres priva-
bunt. d. l. 1. §. 14. & l. 5. in fin. prin. ff. eod.

24. Nepotes, pronepotes ceterique ulterioris gradus de-
scendentes, quando ascendentibus succedunt, bona quæ ipsi vel
pater eorum ab iis acceperunt conferre tenentur non solum inter
se, l. 17. C. h. sed & tum quando cum patruis, amitis, avunculis,
materteris concurrunt: hi enim illis, & illi his ex nova constitutio-
ne, l. 19. C. eod. conferre obstricti sunt.

25. Idem juris est in nepotibus nondum natis, conceptis
tamen & post mortem avi editis, l. 2. in pr. ff. h. t. junct. §. 6. & 8.
Inst. de hered. quæ ab intest. post mortem enim concepti, quia nullo
cognitionis jure avum attingunt. d. §. 8. non conferunt.

29. Hactenus de descendentibus: sequuntur Ascenden-
tes, de quibus querere licet; an liberis suis succedentes conferre
teneantur? De jure Veteri eos collatione non fungi expeditum est,
eo enim jure nunquam duo ascendentes simul succedebant, sed
parentes ubi soli erant in successione liberorum pater matrem ex-
cludebat, l. 2. §. 15. ff. ad Sc. Tertill. l. 2. C. eod. §. preferuntur 3. *Inst.*
eod. quando vero cum liberis aliis superstitibus concurrebant, tum
hi parentibus exclusis soli succedebant, l. 1. l. 4. C. ad Sc. Orphit.
de jure autem recentiori, an idem asserendum sit? de eo Dd. inter
se non conveniunt. Et quamvis affirmativa sententia solidis vi-
deatur nisi rationibus; attamen negativam tanquam verio-
rem amplector, asserens, Ascendentes nec novo jure ad collatio-
nem teneri, & ideo, si quid habuerint ex bonis liberorum,
eo præcipuo retento ad successionem nihilominus perveniunt, ra-
tio, quia omnes leges æqualitatem inter liberos tantum servare
voluerunt. l. 17. C. h. Nov. 18. c. 6. & præterea nullâ lege expressè
cautum reperitur, ut collationis oneri ascendentes quoque subja-
ceant.

B

ceant.

ceant. Si quid ergo speciali lege correctum non est, veterum constitutionum regulis utique standum *arg. l. 32. §. fin. c. de appell.* & sanè quoniam id factum non est, nostrum non erit ad casus in jure nostro non expressos extendere, sed opus erit legislatoris extensione *arg. l. 19. C. h. & l. 64. §. 9. solut. matrim.* præsertim cum in descendentes disposita ad ascendentes temerè producenda non sint. Diversitatis autem ratio, cur descendentes ascendentes succedentes conferre teneantur, & non è contrà in eo fundatur, quod illis hereditas parentum jure naturæ debeat, ascendentes verò miseratione potius & turbato mortalitatis ordine quàm jure liberorum bona obveniant. *l. 7. in fin. si tab. testam. mill. ext. l. 15. ff. de inoff. testam. Hahn. in observ. ad Wesenb. h. n. 4.*

27. Quod de Ascendentibus modo dictum est, idem ad collaterales extendi potest; nam & in his ratio collationis inductiva cessat, nec post modum speciali aliqua lege ipsis conferendi necessitas imposita legitur.

28. His annumerandi sunt Extranei; hi namque sive soli, sive cum liberis succedant non nisi instituti veniunt, quo casu jure veteri collatio non habebat locum, quod nec novo jure quoad has personas mutatum videtur.

29. Quod si hæ personæ fortè ex testamento cum liberis succedant, liberi quidem inter sese, non autem illis, nec illæ his conferent Brunner. *d. c. 3. n. 215. & seqq.*

30. Et hæc de *subjecto* seu personis conferentibus vel non pro ratione instituti dicta sufficiant: sequuntur nunc bona conferenda & non conferenda. de quibus, quoniam varia sunt, nec omnium eadem est ratio, ac uniformis dispositio in jure, separatim agendum erit, & primò quidem de bonis castrensibus.

31. *Bona castrensia*, qualia sunt, quæ liberi in bello sive militia armata, aut occasione belli sibi comparaverunt. *l. 11. de castr. pec. l. 6. C. de bon. que lib.* semper collationis oneri exempta sunt, *text. in l. 1. §. 15. ff. h. l. fin. C. eod.* nec distinguitur, sunt ne ij in potestate, an emancipati, qui ea possident, *vid. l. 52. §. 8. ff. pro Soc. & §. igitur. 1. Inst. per quas pers. cuiq. acq.* & hoc sanè non sine ratione; nam personæ militantes, dum pro totius Reipublicæ salute, & sic etiam pro singulorum emolumento quam plurimis vitæ periculis

culis sese exponebant, mortemque ipsam sæpius contemnebant, digni aliquo videbantur premio, & idèd iis immunitas ab onere conferendi à Legislatoribus concessa videtur.

32. Sub horum autem numero continentur equi & arma filiofamilias militatum abeunti data. *l. 3. l. 4. de castr. pec. & omnia militari servitio in servientia. d. l. 3. item prædia emptæ ex peculio castrensi, Gothofr. in not. ad d. l. 3.*

33. *Quasi Castrensiæ*, qualia sunt, quæ filiusfamil. in toga reipublicæ operam navans paravit, in eadem sunt causa cum castrensis, & ea propter in collationem non veniunt *d. l. 1. §. 15. h. t. & l. fin. C. eod. l. 4. c. de advoc. divers. judic.*

34. Unde colligimus filium in alicujus dignitatis aut administrationis gradu positum, aut causas in foro orantem, in acquisitione ex professione aut ingenio suo non minus juris habere. quam filiofamil. militi armato in bonis castrensis concessum est: præsertim cum Republica non minus legibus quam armis defendatur, neque minus generi humano provideat, qui ambigua causarum fata dirimit, suæque defensionis viribus in rebus sæpè publicis ac privatis lapsa erigit, fatigata reparat, quam si præliis atque vulneribus patriam parentesque salvaret, *text. not. in l. 14. C. de advoc. divers. judicior.*

35. An autem etiam sumtus studiorum, quos pater filij nomine erogavit, conferuntur? Et cum aliqualem affinitatem habere videantur cum quasi castrensis bonis rectè à Dd. communiter hoc negatur Brunner. *c. 4. n. 57.* Enimverò quod hi sumtus liberis à parentibus debeantur, docet non tantum lex divina: sed etiam leges humanæ, imò ipsa naturalis ratio hoc dicitat. (1.) ipsa sacra scriptura hoc evincit *Ecclesiast. 7. vers. 25.* Si tibi sint filij, erudi illos: *Proverb. 23. vers. 13* ibi: *noli subtrahere puero disciplinam* cum his consentit *text. in Epist. ad Ephes. 6. v. 4.* ubi D. Paulus patres pietatis paternæ admonens liberos in disciplina & admonitione Domini enutrire jubet. (2.) Probant hoc leges humanæ: *Justinus in l. 5. §. 12. ff. de agn. & alend. liber.* dicit, rescripto contineri, ut non solum alimenta, verum etiam cætera quoque onera liberorum pater sustinere cogatur *add. l. 3. & 4. C. eod.* Ex canonica æquitate anathematis is damnatur, qui necessaria alimenta liberis

non præbuerit; C. si quis de reliquerit. 14. dist. 30. Confirmat (3.) hoc ipsum jus naturæ: naturalis enim stimulus parentes ad liberorum suorum educationem tanquam viscerum suorum partem hortatur atque incitat l. un. §. 5. C. de rei ux. act. atque ipsa natura hoc suadet l. 1. §. 3. de just. & jur. pr. inst. de l. n. g. & C. educatio autem non tantum curam corporis, nimirum alimentorum, vestimentorum aut aliarum rerum necessariarum præstationem & præbitionem spectat, verum etiam animi cultum; qui potissimum in doctrina & informatione consistere videtur, requirit: Ex his nunc animadverti potest, parentes omnino ad hos liberos obstrictos esse. Superest igitur, ut supra memorata assertio probetur: probatur autem (1.) per l. un. C. de per. success. par. ubi ea, quæ volente patre pro dignitate obtinenda erogantur vel promittuntur, ab omnibus heredibus exsolvenda veniunt, fac. (2.) l. 15. C. de neg. gest. ubi vitricus mercedes, quas pro privignis magistris sive præceptoribus erogavit, repetere non potest, quando paterno affectu eas subministravit; Si autem in vitrico hoc obtinet, multo magis in persona parentis ipsius locum inveniet, cujus sanè major in liberos est affectio, nullusque est affectus, qui parentum vincat, unde Seneca:

o nimium potens

Quanto parentes sanguinis vinculo tenent

Natura: quam te colimus in viti quoque?

Stabiliet denique hanc assertionem l. 50. ff. fam. ercisc. Licet enim ibi solus emancipatus liber pronuncietur ab onere conferendi sumptus studiorum, si pater non credendi animo sed pietate debitâ ductus misisse fuerit comprobatus, magis tamen eadem in filio in potestate patris constituto obtinebit: si quidem nullum dubium, quin si Jurisconsultus interrogatus fuisset, an idem de filiofamil. statueret? ita respondisset, utpote quem verisimiliter pater majori prosequitur affectione & amore, quam emancipatum. Valet ergo hic communis Dd. regula, quod pro expresso habendum sit, quod partes si de eo specialiter interrogatæ fuissent, verisimiliter respondissent.

36. Quæ de patre, & ab eo sumptibus factis dicta sunt, eadem procedunt etiam in matre l. 34. ff. de neg. gest. l. 11. C. eod. quia hic est eadem pietatis ratio l. 4. ff. de cur. furios. cujus intuitu

mater

mater alimenta quoque liberis debet l. 5. §. 14. ff. de agn. liber. d. l. 11. C. de neg. gest. Atque secundum hanc sententiam in causa quadam iudicatum est m. Septembr. Ann. 1620. Carpzov. in Iurispr. for. part. 3. const. 11. de f. 17. Cujus verba hæc sunt: Do nun erwelz nete ewre Mutter bey ihrem Leben das jenige / was sie in solz chen 4. Jahren euch über die 30. M. zur fort treibung ewrer Studien geschicket / nicht auffgezeichnet etc. So wird nach gemeiner Bahn der Rechtsgelchrten dafür gehalten / daß sie es jure pietatis und auß Mutterlicher Frengeligkeit gethan / derowegen send ihr solches in die gemeine Mütterlichen Erb schaffte zu conferiren / oder an ewren Antheil euch abfurzen zu lassen nicht schuldig B. X. W.

37. Quæritur secundo de expensis in gradum dignitatis & honorem filiifamil. erogatis, an illæ conferendæ? Et negativam opinionem ut communior, ita verior sequi placet, tum propter textum in l. 1. §. 16. ff. hic. ubi dicit Jurisconsultus, æquum esse ea, quæ parentes dederunt vel promiserunt adipiscendi honoris causa non conferri, propter onera quæ sustinet filius: onera namque honoribus coherent l. 2. §. 1. ff. de Vac. mun. tum quod hujusmodi expensæ occasione militiæ togatæ in liberos erogantur, & sic ad bona quasi castrensia quæ collationis oneri non subjecta supra diximus, referuntur, tum denique quod pater, utpote qui per aliquot jam annos filio sumptus ministravit etiam hos in dubio præsumitur animo donandi fecisse, & proinde in his quoq; collationem cessare. Carpzov. in fin. d. de fin. 17.

38. Quæritur, 3. an sub studiorum expensis studiosorum libri contineantur, ita, ut nec eos filius conferre teneatur? Et eos quasi castrensibus bonis anumeramus ac sumptuum literariorum instar conferri negamus cum Brunner. d. c. 4. n. 107. nisi forsata tam leviter studia sua tractaverit, ut neque sibi neque aliis inservire suamque operam literariam exhibere queat: Cum enim in militiam proficiscens filius ea, quæ patre concedente in castra secum aufert, præcipua habeat, l. 4. in pr. de castr. pec. qualia solent esse equi & arma & ejus generis alia, ut supra dictum, nihil putaremus ob stare, quin idem de libris, quos pater filio studiorum causa peregrè abeunti & ad musarum castra tendenti comparavit, idem asserere.

asserere liceret: siquidem & hi arma sunt studiosorum, & illis æquè necessarij, ut militibus arma, censentur, *Coedd. in comm. ad l. 41. n. 7. de V. S.*

39. Occurrit, 4. hic quæstio talis: Pater in vita mittit filium ad studia, sed nondum completo studio moritur pater, nunquid fratres istius studiosi coguntur fratri suo studenti sumtus præstare, donec studia sua absolverit, quemadmodum & pater fecisset, si in vivis mansisset? Verius esse puto, fratres, cohæredes patris, non teneri ex communi alere istum fratrem studentem, quia in fratribus cessat necessitas illa, ad quam pater obstrictus erat, itidem ille favor & amor, quo pater filium vivens complectebatur.

40. Quod si tamen ad aliquod tempus de communi hereditate vivant, & uni studiorum gratiâ absenti simpliciter sumtus ad studia in vita patris cœpta perficienda subministrant, non conferendi erunt *D. Struv. Syntagm. Iurispr. exerc. 37. §. 29.*

41. Cæterum debitum in vita patris contractum, modò sit honestum ac licitum, fratres coguntur conferre de communibus bonis, sicut & ipse pater coactus fuisset, si non esset enorme, sed tale, quale pater ante consuevisset pro filio solvere. *l. 7. §. 13. l. 17. ff. ad Sc. Maced. l. 5. C. eod. l. 20. §. 7. ff. fam. erisc. l. 15. de mun. & honor.*

42. Quæsitum 5. est; an si pater sumtus studiorum gratiâ in filiumfam. erogatos in librum rationum vel diarium specialiter adnotaverit, inde colligatur animus credendi & consequenter conferendi veniant? quoniam diligentes patresfam. sibi suisque rebus optimè prospicientes datorum & acceptorum etiam minutissimorum rationes accuratè conscribere soleant eo præcipuè fine, ut quotannis eò facilius rationem eorum habere possint, non simpliciter affirmaremus, ex sola illa annotatione, quæ memoriæ saltem causa sapius fit, animum credendi colligi, *arg. l. 5. & 7. C. de probat. & consequenter hoc negandum, atque ita judicavit Facultas Juridica Lipsiensis hisce formalibus: Das daß Vatternblosse consignation und Verzeichnus in sein Tagebüchlein zur gesuchten collation, in manglung anderer Nachrichtung und Beweisses / nicht gnugfamb / B. X. W. Carpzov. d. l. defn. 20.*

43. Aliud

43. Aliud forsan dicendum, ubi de isto animo satis constat, expressis verbis, per protestationem &c. tunc tamen detrahendi sunt sumtus alimentorum, honoraria docentium, viatica vid. Vinn. c. 13. n. 2 & seqq. nisi modum & fortunam facultatum paternarum excedant, & ceteri liberi debitum honorum subsidium habere non possint, cui ut in erogatione sumptuum pater simul & reliquos liberos respiciat, à paterna pietate alienum non sit, & alimenta, præceptorum mercedes pro modo facultatum & quantitate patrimoni decerni ac promitti debeant. l. 5. §. 7. & 19. ff. de agn. & ascend. lib. l. 2. ff. ubi pup. educ. deb.

44. Progredimur ad adventitia. Adventitia in hac subiecta materia secundum Dd. dici solent illa, quæ ab extraneo aut cognato, de cuius successione non agitur, profecta, aut prosperiori aliqua fortunâ filiosam. delata sunt.

45. Hæc si considerentur secundum jus antiquum, quo pleno proprietatis & ususfructus jure patri acquirebantur. l. 2. C. de patr. pot. l. 6. C. de bon. qua liber. §. 1. Inst. per quas pers. cuiq; acq. potius dividi, quàm conferri dicuntur: sin respiciatur jus novum & ista bonorum adventitiorum species, cujus proprietas filio, usufructus & administratio verò in diem vitæ l. 1. C. de bon. matern. patri acquiruntur. dd. ll. dicendum erit, quod fructus adventitorum conferri quidem; dominium autem & proprietas præcipua filio manere debeant.

46. Bona adventitia, in quibus pater ne quidem usufructum habet, collationi non subiiciuntur l. fin. C. h. t.

47. Quæsitum est; si patre permittente filius percipiat usufructum adventitorum, an talis usufructus sit extra collationem? Dicendum videtur quod non, quoniam talis usufructus è bonis patris provenit, quæ autem à patre proveniunt, regulariter in collationem veniunt. ut ex seqq. apparebit. Verum hoc non obstante contrarium probabilius est, intelligitur enim pater donare talem usufructum filio, aded quod mortuo patre non teneatur eum conferre, l. 6. §. 1. vers. sin autem C. de bon. qua liber.

48. De bonis castrensibus, quasi castrensibus & adventitiis, postquam hactenus dictum est, restat videre de profectitiis, an & quomodo hæc in collationem veniant. Ubi sciendum ea esse

in

in duplici differentia: sunt enim vel verè profectitia, vel quasi profectitia. Verè profectitia dicuntur illa, quæ liberi à patre vel ejus intuitu ab aliis consequuntur *l. 17. C. h. t. junct. §. igitur. i. Inst. per quas pers. cuiq. atq.* Quasi profectitia verò sunt, quæ à matre vel cognatis ascendentibus materni generis, quorum de successione agitur, liberis obvenerunt, *Hahn. d. l. n. 5.*

49. Inter ea autem occurrit dos, quæ vel data est vel promissa. Dotem datam filia, cæteræque descendentes regulariter conferre tenentur, *text. in authen. ex testamento, C. h. t. & in l. 2. l. 4. 8. 17. C. eod. nec interest profectitia sit an adventitia: modò tractetur de successione ejus parentis, à quo dos hæc profecta sit; nam licet dos illa quoad jus dotium adventitia dicatur, est tamen profectitia quoad causam conferendi* *Dd. in & per l. 17. C. h. t. Carpz. in Jurispr. for. 3. const. 11. de fin. 14*

50. Hinc apparet ea bona, quæ aliunde quàm ab eo, cui succedere quis vult, profecta sunt, non conferri, & sic si matri succedatur: filia autem habeat dotem à patre, hanc non conferet, quia licet dos hæc in se sit profectitia; respectu tamen hujus successionis est adventitia, quia non est à matre profecta.

51. De dote promissa hoc singulare est, quod conferatur per cautionem defensionis seu liberationis, *l. 1. §. 1. 7. 8. de Collat. dot. l. 2. C. de collat.*

52. Quid si maritus filia adhuc vivat & constet matrimonium? Eo casu necesse habet conferre dotem non realiter, ut eam exactam à marito conferat, sed ut tanto minus auferat ex successione patris *l. 5. C. h. t. si videlicet in eventum soluti matrimonii sit actio salva contra maritum; aliàs etiam nudam actionem crens æqualem cum fratribus partem habebit, authen. quod loc. C. h. t. Carpzov. cit. loc.*

53. Quod sublimitatur, nisi culpâ & negligentia uxoris actio facta sit inanis, veluti, si à marito vergente ad inopiam, non exegerit dotem, potuit autem exigere, si fuerit legitimæ ætatis & sui juris, deinde si fuerit quidem in potestate patris, sed aut dos fuerit adventitia aut profectitia quidem sed pater non obstitit, quo minus exigeret, aut denique si dos fuerit magna, tunc enim doci exigendæ etiam repugnante patre filia potestas concessa est à Justiniano

Uiniano in Nov. 97. cap. 6. & d. authen. quod locum D. Brunneman.
in Comment. C. ad d. authen. & ibi Dd. communiter.

54. Dotis Collationi adscribo non modo res in dotem
datas principales, Brauschas oder Mitgiffte / sed cum iis etiam ad-
ditamentum, ut sunt vestes pretiosiores, annuli, armillæ, torques
& cætera ad ornamentum corporis pertinentia, arg. l. 8. C. de jur.
dot. junct. C. accessorum. 42. de R. l. in 6. Gail. 2. obs. 91. n. 1. 2. & 5.
Wurms. pract. for. tit. 42. obs. 2. Carp. in Iurispr. for. 3. const. 11. de
fin. 11. ubi præjudicia more suo refert. Item quæ ad augenda rei
familiaris gratia liberis subministrantur *zur Väterlichen Hülff
und Aufstewr* / non etiam vestimenta in usum quotidianum data.
hæc enim quodammodo liberis debentur & alimentorum appella-
tione continentur l. 6. de alim. & cib. leg. vid. Gail. d. l. Carpzov.
l. de fin. 15.

55. Excipio etiam sumptus in ipsas nuptias & convivium
nuptiale factos, cum non præsumatur patrem eo animo tales sum-
tus fecisse, ut eorum collatione liberos oneraret, quoniam ad offi-
cium probi patris spectat liberos honestè elocare & nuptui trade-
re, quod sane citra expensas fieri nequit.

56. Quæ de dota dicta sunt, eadem obtinent in donatione
propter nuptias, gegen Vermachnis / sic ut & ea conferri debeat
l. 5. & 7. ff. bic. l. 29. C. de in off. testam. l. 17. 19. C. de collat.

57. Porro lytron, quod expendit pater pro filio ab hostibus
vel latronibus eum redimendo: quippe cum pietatis causa fecisse
præsumatur, non venit conferendum l. 17. C. de postlim. revers. arg.
l. 13. C. de neg. gest. l. 34. ff. eod.

58. Quod autem pænæ nomine pater ob delictum à filio
perpetratum fisco, Magistratui vel parti læsæ exsolvit, id postea à
cæteris liberis in successione de portione ejus rectè deduci potest,
ne delictum unius alteri noceat. & ita Jenæ in Collegio Juridico
de jure responsum esse Mens. April. Anno 1607. dicit D. Struv. in Syn-
tagm. Iurispr. exerc. 37. §. 27. Distinguit autem Carpzov. d. l. de fin.
25. §. 6. & seqq. ubi simul pro confirmanda sua sententia aliquot
præjudicia adducit.

59. Graviter controversitur, utrum nimirum mera & sim-
plex liberis à patre solius liberalitatis exercendæ gratiâ facta do-
natio

MS. niter quos
etiam compre-
hendam puto.
non sponsali
accessorie is-
sumptuum, si-
cily a sponsa
ipse perven-
nequit.

natio collationi subiicienda sit? Ad hanc quaestionem licet Dd. variè respondeant, illorum tamen opinioni iuhærendum puto, qui negant in simplici donatione collationi esse locum, modo de liberis in potestate constitutis sit quaestio. Suadet hanc sententiam *l. pen. §. 1. in fin. C. h. t.* ubi duo casus excipiuntur: primus est, quando parens liberis suis eâ lege donavit, ut donatio conferretur. 2. Est, quando alter ex fratribus vel sororibus dotem vel donationem propter nuptias conferre necesse habet: confirmat hanc sententiam *l. 18. C. fam. erisc.* Cui non obloqui videtur *l. 13. C. h. t.* Quod enim emancipati à patre donata simpliciter & semper conferre teneantur, nullum in puncto juris videtur habere dubium, Brunner. *in d. tr. c. 4. n. 853.*

60. Tandem etiam non conferuntur fideicommissa, legata, mortis causa donatio, prælegata *l. 10. l. 12. l. 16. C. h. t.* item non conferuntur usura & fructus, nisi conferens collationi moram fecerit, quo casu præter rem etiam fructus rei à tempore moræ perceptos & usuras præstabit *l. 5. §. 1. hic vid. C. 1. A. ad h. t. th. 8.*

61. Tantum regulariter conferendum est, quantum auferitur *l. 1. §. 3. h. t.* Conferens enim vitilem portionem sibi retinet *d. l. 1. §. ult. l. 2. §. 5. l. 3. §. 2. ff. eod.* Excipiuntur autem casus nonnulli, de quibus videre licet *C. 1. A. ad h. t. th. 10.*

62. Toties autem collationi locus est, quoties is, qui in potestate constitutus est, incommodo afficitur. *d. l. 1. §. 3. 4. 5. l. 1. §. 13. de conj. cum emanc. liber.*

63. Sed jure antiquo discrimen erat inter causam testati & intestati: In successione ab intestato, ubi videlicet quis bonorum possessionem contra tabulas, vel, unde Liberi, obtinebat, fiebat tantum collatio: ex testamento autem heredes fratres & sorores non conferebant, nisi hoc ipsum specialiter testator jussisset, *l. 1. l. 7. C. de Collat. l. 1. §. 6. ff. eod. l. ult. C. comm. utriusq. judicij* ratio erat, quod instituti heredes veniebant ad successionem ex voluntate defuncti, cui liberum est, uni ex liberis plus relinquere quàm aliis, modò nulla fraus fiat in legitima *l. 8. C. de in off. testam.* ab intestato verò succedentes veniunt vi & autoritate legis, quæ omnes inter se exæquat. Verum Justinianus in *Nov. 18. c. 6. & authen. ex testamento. C. de Collat.* sustulit hoc discrimen, simulque sanxivit,

sanxivit, ut siue quis intestatus moriatur siue testatus, collatio nihilominus locum habeat, nisi testator expressè designaverit se vel le non fieri collationem l. 1. & d. *auth. ex testamento. C. h. quo facto præcipuum (zum Voraus)* quisque liberorum habebit, quod vel dotis nomine vel donationis propter nuptias accepit. Hahn. *ad Wesenb. h. t. n. 5.*

64. Cum autem textus in *d. nov. 18. & auth. ex testamento.* prohibitionis & remissionis expressæ faciat mentionem, quæritur: an ad excludendam collationem omnino expressa requiratur prohibitio testatoris, an verò sufficiant verba generalia & æquipollentia, unde liquidò constare possit, eum collationem remisisse? Posterius negat Hahn. *d. l.* affirmant autem Treutl. *vol. 2. disp. 17. th. 4. lit. C.* ibique Bach. *Vinn. d. tr. c. 7. n. 6.* quorum sententiæ magis assentio propter *l. 39. §. 1. ff. fam. ercisc.* Quid enim si pater dicat: Volo, ut liberi mei post obitum meum æqualiter succedant, vel, si pater in compensationem dotis primogenitæ datæ, secundæ filiæ aliquid prælegaverit, nonne collatio prohibita censetur? Ita sentit Carpzov. *part. 3. Jurispr. for. const. 11. de fin. 24.* sequenti præjudicio hoc confirmans: In causa liberorum M. T. *mens. Maj. Ann. 1599.* Hat M. T. in seinen letzten Willen verordnet/demnach er seinen 6. Kinderen erster Ehe ehrliche Wirtschafften außgerichtet / und allerley vätterliche Hülffe erzeiget / daß er seine 4. Kinder anderer Ehe so noch klein und unerzogen / auß Vätterlicher Liebe auch etlicher massen zu bedencken entschlossen / und demnach denenselben uff seinen Todesfall einen jeden 10. neue Schock vorgedachten seinen andern Kindern zum Voraus vermacht haben wolte/ etc. So erscheinet darauff so viel / daß den Kindern anderer Ehe solches alles zu erstattung desjenigen / was der Vatter den Kindern erster Ehe gegeben / vermacht worden / und demnach die Kinder der erster Ehe gegeben / das / so sie von Vatter bey desselben Leben empfangen / weder in die gemeine theilung zu bringen / oder an ihrem Antheil ihnen abtürken zu lassen nicht schuldig seyn / B. R. W.

65. Ex supra dictis apparet in successione ex testamento jure veteri collationi locum non fuisse: an autem si nullum quidem testa-



testamentum, sed codicilli facti sint, Collatio impedita fuit? Treutl
d.l. Brunner. c. 2. n. 20. & seqq. & alij distinguunt inter codicillos di-
 sponentes de tota hereditate & disponentes de parte aliqua: Priori
 casu locum non fuisse collationi tradunt; secus autem in casu poste-
 riori, verum huic opinioni vix subscribere possum, cum quoad
 causam collationis parum aut nihil inter sit, de toto codicilli dispo-
 nant, an de parte; liquidem ex codicillis non succeditur, de collatio-
 ne autem quæri non potest, nisi inter eos, qui simul succedunt, sed
 hoc modo potius distinguendum puto: Liberi emancipati aut
 eo, quod codicillis relictum est, contenti bonorum possessionem,
 unde liberi, non appetunt, & certum est eos ad collationem bono-
 rum suorum, etiam eorum, quæ alias à parente acceperunt, non ur-
 geri, quoniam nemo ad collationem vocatur, qui non appetit suc-
 cessionem *l. ex causa 25. C. fam. et c. l. ult. de Coll. dot.* Aut petunt bo-
 norum possessionem, & tunc si cum liberis in potestate concurrant,
 bona sua & quæcunque alias conferrent, hic quoque conferre te-
 nentur, ita tamen ut quod codicillis relictum est, quoniam extero
 jure capiunt, præcipuum habeant *l. 10. l. 16. C. h. t.*

66. Progredior ad modum, quo Collatio ritè justeque
 fieri debeat. Modus autem ille, vel est generalis vel specialis.

67. Generaliter collatio fieri dicitur, quando ea fit boni vi-
 ri arbitrati; unde ea, quæ perierunt, sine dolo & culpa conferen-
 tis ad collationem non pertinent, *l. 2. §. 2. l. 5. §. 1 ff. de Collat.*

68. Specialiter fit vel re ipsa vel cautione, *l. 1. §. 11. ff. h. t.*

69. Re fieri dicitur, cum filius, qui conferre debet, vel
 bona in communem hereditatem actualiter infert, ut ita dividan-
 tur, *d. l. 1. §. 11.* vel cum nomen paterni debitoris delegat, vel pro-
 portione, quæ conferri debuit, fundum vel aliam rem in collatio-
 nem dat. Idem est, si ex bonis hereditariis tantum, quantum is
 cui conferitur, ex collatione habere debet, remittat aut minus ac-
 cipiat *d. l. 1. §. 11. & 12. ff. hic. l. 5. C. eod. Nov. 97. c. 6.* Daer so lang
 in der Theilung zurück steht/bis die andere auch so viel be-
 kommen haben/als er schon empfangen.

C. 70. Dubitatur hic: an qui conferre tenentur præcisè obligetur
 rem ipsam præstare, vel eâ retentâ sufficiat rei æstimationem con-
 ferre? Et licet videri possit edicto prætoris & constitutionibus; quæ
 aqua-

æqualitatem tantum spectant; abundè satisfieri, si pro speciebus & corporibus, quæ acquisivit, æstimatio conferatur, attamen contrarium verius est, per *l. 1. pr. ff. de Collat. l. 11. C. eod.* Nec obstat, quod delegatione, cessione actionis, in solutū datione, & aliis modis fieri possit, disting. enim inter heredem volentem & obnitentem; nam si pars adversa rei æstimatione præstita acquiescat sola æstimatorio sufficiet, cum volenti creditori aliud pro alio solvi possit, *l. 17. C. de solut.*

71. Si ipsius corporis illarum injuriam conferenti afferat, æstimationem ejus sufficere arbitror. Idem juris esse existimo si coheredum non inter sit rem ipsam in specie conferri; fieri namque debet omnis Collatio boni viri arbitrati *l. 2. §. 2. ff. h. r.* qui sanè nunquam arbitrabitur eam rem in specie conferri debere, cuius æstimatione cohæredes facillè & citra damnum contenti esse possunt, cum quod alteri non nocet, & alicui prodest, jura facillè concedant *l. in summa. 2. §. 5. de aq. & aqua plur. arc.* His addere licet casum, quo res collationi obnoxia bonâ fide alienata fuerit, adeoque in specie conferri non possit Vinn. *d. tr. cap. 16. n. 4. & seqq.*

72. Cautione (quamvis minus propriè) fit Collatio quoties ab eo, qui conferre debet, recte cavetur, *l. 1. §. 9. ff. de Collat.* Rectè autem cavetur vel per satisfactionem, vel per fidejussores, vel per pignorum sufficientium oblationem, *d. l. 1. §. 9. & II. l. 59. §. ult. ff. Mand.* quamvis regulariter prætoriarum stipulationes personas desiderant *l. 7. de præst. stipul.*

73. Quid si forte quis ob inopiam rei familiaris cavere non possit de bonis conferendis? Hoc casu non statim ab eo transferenda est possessio portionis suæ; sed sustinendus & ferendus est, donec cautionis præstandæ facultatem nanciscatur, ita tamen, ut interim fratribus de iis, quæ morâ deteriora futura sunt, actio detur, ipsique caveant fratri ad conferendum obligato in medium collaturos, si cautum eis fuerit, *l. 2. §. fin. ff. de Collat.*

74. Si conferens intra aliquod temporis spatium quod ipsi dandum, Gothofr. *in not. ad l. 5. §. 1. ff. h. r.* adhuc cavere non possit, dabitur curator, qui portionem ejus hereditariam, si tempore per jura sit, vendat & pecuniam servet, aliàs eam penes se relinquat

& custodiat, donec ille res collationi obnoxias ritè contulerit, l. 1. §. 10. ff. eod.

75. Per cautionem cavere nolenti, cum possit, denegantur actiones hereditariae, quæ alias pro consequenda portione sua hereditaria ei competere, donec consilium mutet: si quis enim postea actâ pœnitentia conferat vel intra tempus legitimum delatæ possessionis cautionem offerat, recipiet jus suum d. l. 1. §. 10. Prætor variantem non repellit & consilium mutantis non aspernatur, inquit Jurisconsultus in l. 8. ff. hic.

78. Quod si is, qui collationem detrectat, sit in possessione rerum conferendarum, poterit ad collationem compelli officio judicis, per l. 8. C. h. t. Vital. c. 2. n. 25.

79. Si cautum sit, sed intermisso eo spatio, quo conferre debuit & potuit, non sit collatum, dabitur stipulatori ejusque fratribus in non conferentem actio ex stipulatu, ex ea causa, quod cum potuit non contulit, vel non in solidum contulit, vel dolo fecit, quominus conferret, ut condemnetur in tantam pecuniam, quanti ea res est, C. I. A. ad h. t. th. ult. n. 9. Vital. d. l.

80. Ex iis quæ supra dicta sunt, animadvertere licet finem collationis jure veteri constituisse in compensatione in commodi & injuriæ, quâ emancipati à prætore ad successionem paternorum bonorum admissi suos & in potestate retentos afficiebant: hodie autem finem, propter quem collatio fit & petitur, hunc esse, ut inter liberos æqualitas servetur, quilibet noverit, per l. 17. l. 20. C. h. t. arg. l. 77. §. 20. de leg. 2. l. fin. C. comm. utr. judic.

81. Effectus Collationis, quod bona per collationem in communem hereditatem hereditaria facta dividantur, & actiones quæcunque hereditariae, quæ antea ei denegari poterant l. 11. l. 14. C. h. conferenti competant,

82. Et hæc de hac difficillima & satis intricata materia Collationis bonorum. Longè plura addi quidem potuissent, sed quoniam tempus & ingenij vires monuere filium abrumpere, hic subsisto, interim non pudebit errorem, de quo si monitus fuero, corrigere & in melius emendare, cum ut Justinianus ipse agnovit in l. 2. §. 14. de V. l. E. in nullo penitus errare seu in omnibus esse irreprehensibilem & inemendabilem solius magis sit divinitatis, quam humanitatis. Quos

Quos Astra a semel suavi dulcedine Furis
Imbuit, hos totos vendicat ipsa sibi.
Hanc **S**POLTMANNE tuis primis se-
ctatus ab annis

Leges versasti nocte dieq; sacras.

Mox Agrippina, mox Giessa, Noviomagi
Fura laborasti continuare vigil.

Nunc ejus specimen Magno sub Preside
REBHAN

Hic Argentina prodis, & Auctor ades.
Gratulor his cæptis, & iter cum fata mo-
rentur

Interras alias tristia, dura, dolor!
Apprecor in patriam Tibi iter, quod nunc
meditaris,

Ut sit ter felix, sit comes ipse Deus!

ua

Nobilissimo ac Pereximio Domino
Respondenti Amico & consalino
suo Honoratissimo properabundus
applaudebat

Bertramus Theodorus
à Dekingk.

Sic, Spoltmanne, decet factis extendere
famam:

Quo labor est major, gloria major erit.

Sudori

Sudori nulli parcis nullique labori,
Profers dum studia floscula docta tui.
Perge animo vigili, sic culmen aditur ho-
noris,

Quod veræ laudis vividus auget amor.
Vive diu felix: Cedant tibi Nestoris anni,
Hæc precor ex animo, dulcis amice vale.

*Præstantissimo atq; doctissimo Dn. Theodore
Spoltman consalino suo suavissimo par-
tula hæc acclamationis ergo apponit*

Gerlachius à Bœckhorst,
LL. Stud.


F I N I S.



Strassburg, Diss., 1667

X 22842 98

WOM



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

JURIDICA

50. 13

279

ATIO- DRUM

14

1667 13

Feliciter adjutus

idio

NOBILISSIMI,

CONSULTISSIMI

NI

EBHANI,

d. & Feudal. Consuet.

Jurid. Senior. graviss.

filiarij.

ris & Præceptoris

nerandi.

defendere

MOLTMANN,

Autor.

bruarij 4. Martij.

RATI,

PASTORII,

LXVII.

21

